



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. II. Vtrùm illud iudicium eliciatur ab habitu fidei aut prudentiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

indubitanter aliquid credere à Deo esse reuelatum, de quo probabiliter aliquo modo possum dubitare an à Deo reuelatum sit.

7 Dices Secundò, Possum fide diuina rei reuelatæ firmius assentiri, quàm vlla euidens ratio possit probare eam esse reuelatam, id quæ prudenter ob auctoritatem Dei: ergo similiter poterò prudenter ob auctoritatem Dei certius & firmius iudicare res aliquas esse credibiles, quàm vlla argumenta id probent. Respondeo negando consequentiam. Primò, quia licet prudentia doceat me debere firmissimè credere ea, quæ euidenter ac moraliter certò video à Deo esse reuelata; non tamen docet me debere certò & indubitanter iudicare ea à Deo esse reuelata, quæ nulla ratio sufficienter probat à Deo esse reuelata, siue de quibus meritò possum aliquo modo dubitare an verè reuelata sint.

Secundò, quia fidem præcedit actus voluntatis applicans ac determinans intellectum, ut ita firmiter credat ea, quæ prudenter iudicauit à Deo esse reuelata; nullus autem eiusmodi actus voluntatis præcedit illud iudicium: imò nec prudenter potest præcedere, quia deberet dirigi alio prudenti iudicio, & sic iretur in infinitum: sed intellectus debet determinari ad illud iudicium ex euidencia rei.

8 Dices Tertio, Multi simplices non possunt ita intelligere aut discernere euidenciam & certitudinem notatum fidei, & tamen prudenter credunt: ergo hæc euidencia ad fidem non est necessaria. Respondeo eos nihilominus pro suo captu debere habere aliquam euidenciam credibilitatis rei credendæ, ita ut nullarationabilis causa de eo dubitandi occurrat: quod facile est iis, qui sufficienter, prout tanta res requirit, in rebus fidei instructi sunt, & prout etiam cõmuniter à diligentibus Pastoribus subditi instruantur. Et hoc sufficit ut tales prudenter mysteria nostræ fidei credant. Possunt autem eiusmodi euidenciam cognitionem facile habere ex miraculis quæ audiunt sapientis diuersis locis in confirmationem nostræ fidei fieri, vel aliquando etiam fieri cernunt, aut in personis sibi notis facta conspiciunt. Item ex eo, quod ex doctrina suorum Pastorum, & communi aliorum cõsensu intelligunt, hanc doctrinam ab Ecclesia Catholica ubique teneri, cuius auctoritas sufficiens est, ut prudenter illi credant. Item ex eo, quod satis constet viros sanctissimos nostram fidem tenuisse, quod etiam ipsi ex communi omnium fama, & historijs quas audierunt, vel etiam legerunt, facile possunt cognoscere.

9 Nec refert, quod ipsi has similesque fidei notas, earumque euidenciam, non possint ita clare perspicere, ac vtri docti eas perspiciunt: nam cum ipsis etiam non tam facile occurrant rationes dubitandi in contrarium, pauciora & minus firma requiruntur argumenta ut ijs aliquid probetur sufficienter, ut illud sibi prudenter persuadeant esse euidenter credibile; quàm requirantur ut aliquid probetur viis doctis, qui facilius de argumentorum inefficacia possunt dubitare: ideoque ut res aliqua dicatur his euidenter probata, fortiora argumenta requiruntur. Adde, diuinam providentiam nunquam deesse iis,

qui salutem sermò quaerunt: atque ita eos simplices sua gratia præuenire, ac intellectum eorum illustrare, ut claudis eiusmodi rationes apprehendant, quàm alijs eas per se possent apprehendere. Vnde videmus sæpè tales firmius ac constantius rebus fidei adhaerere, quàm aliquos doctos: adeò ut illis earum credibilitas appareat tam euidens, ut de ea dubitare nequeant, & mirentur aliquos dubitare posse.

Quidam apud Lorcam disp. 16. n. 22. docent, eiusmodi euidenciam inesse cuius habenti habitum fidei; quia hic, ut aiunt, facit res fidei nobis euidenter credibiles; atque ita in rudioribus supplet defectum rationum: citatque Caietanum 2. 2. q. 1. a. 4. sed hoc ipse hoc loco non dicit, sed planè aliud, ut dub. 2. videbimus. Imò expresse negat habitum fidei illis rudioribus reddere mysteria fidei euidenter credibilia, nisi sufficienter illis prius probentur. Cuiuscumque autem illa sententia sit, vera non est: satis enim experimur habitum fidei non efficere in nobis aliquam euidenciam, imò hoc ipsius naturæ repugnat, cum inclinet in actum obsecutum.

D V B I V M II.

Utrum illud iudicium eliciatur ab habitu fidei aut prudentiæ?

Prior opinio docet, illud iudicium elici ab habitu fidei, qui nos facit non solum assentiri rebus fidei, sed etiam euidenter videre earum credibilitatem; non quidem omnes, sed eos qui habent intellectum sufficientem ad hoc dispositum, scilicet per sufficientem apprehensionem rationum, quibus credibilitas fidei probatur. Huius sententiæ videtur Caietanus 2. 2. q. 1. a. 4. Et probatur Primò, quia D. Thomas ibidem ad 3. dicit, fidem facere nos videre res fidei; quod intelligendum videtur de visione illius credibilitatis. Secundò, quia fides dicitur lumen: ergo facit nos aliquid euidenter cognoscere; non veritatem rerum fidei, ergo earum credibilitatem; quia huius clara cognitio potest cum fide consistere. Tertio, quia 1. ad Corinth. 4. dicitur 1. Cor. 4. Deum illuxisse in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis: hoc autem fit per fidem: ergo hæc dat nobis aliquam euidenciam, scilicet credibilitatis rerum fidei.

Alij volunt hoc iudicium pertinere ad prudentiam, & ab eius habitu elici, quia scilicet dirigit voluntatem in sua operatione, siue in imperio quo actus fidei imperatur.

Pro quo Nota, ex dictis nu. 5. & 6. duplex iudicium præcedere illud imperium voluntatis: vnum quo res credenda iudicatur euidenter credibilis; alterum quo eadem iudicatur hic & nunc credenda esse. agimus autem hic præcipue de priore iudicio, tamen consequenter etiam dicemus aliquid de secundo.

CONCLUSIO I. Illud iudicium non pertinet ad habitum fidei; neque ab hoc elicitur. Ita Valent. 2. 2. disput. 1. q. 2. puncto 4. in fine ad 3. Turrian. disput. 7. dub. 4. & videtur communis. Turrian.

Probatur Primò, quia illud iudicium habet obiectum formale omnino distinctum ab obiecto

Cur possum firmius credere quæ ratio probet, non tam ita iudicare rem esse credibilem.

Qualis euidencia credibilitatis requiritur in simplicioribus.

Efficaciora requiruntur argumenta ut aliquid probetur doctis, quàm ut indoctis.

Indocti sapienter alius rebus fidei illuminantur à Deo.

10 Lorca.

Caietan.

Habitus fidei nullam confert euidenciam.

11

Caietan.

D. Thomas.

1. Cor. 4.

12

13

cto formali fidei, quia illud pro obiecto formali habet evidentiam notarum fidei, hæc verò testimonium Dei; nullus autem habitus inclinatur ad actum, qui nullo modo tendit in ipsius obiectum formale: ergo habitus fidei non inclinatur ad actum illius iudicii, nec eum elicit. Secundò, quia, ut patet ex 1. ad Corint. 13. & ad Hebræos 11. ac dictis disp. 11. n. 32. & sequentibus habitus fidei tendit in obiectum quia obsecrum, nec facit id villo modo evidens: ergo non potest esse causa assensus evidenter, qualis est illud iudicium.

1. Cor. 13.
Hebr. 11.

14.
Qua ratione
fides dicatur
villo & lu-
men.

Ad primum argumentum possumus n. 11. Respondeo, D. Thomam ibi non loqui de illo iudicio, sed de ipso assensu fidei, diciturque nos per eum videre res fidei, quatenus omnis cognitio generatur loquendo dicitur visio. Simili modo fides dicitur lumen, quatenus omnis cognitio dicitur aliquo modo lumen, quatenus per eam aliquid cognoscimus siue clarè, siue obscurè. Et ob eandem causam Deus dicitur per fidem illuciscere in cordibus nostris, quatenus eum ac ipsam veritatem rerum ad salutem pertinentium per fidem verè cognoscimus, qui sine ea sumus in ignorantia veritatis ac in erroribus. & sicut hæc meritis dicuntur tenebræ & obscuritas, ita eorundem respectu cognitio fidei, quantumvis obscura, dicitur lux & claritas; quia omnis cognitio veritatis respectu ignorantie est quadam lux. Ex quo patet responsio ad secundum & tertium.

Obscura
cognitio re-
spectu igno-
rantie est
lux.

15
Turrian.

CONCLUSIO II. Iudicium quo iudicamus res fidei esse evidenter credibiles, non est propriè loquendo actus prudentie. Ita Turrian. sup. Probatur, quia actus prudentie propriè dicta est cognitio practica immediate dirigens voluntatē in sua operatione, siue qua aliquid iudicatur faciendum aut omittendum illud autem iudicium est speculativum, & potest esse in eo qui ob malam voluntatē iudicat res fidei hinc & nunc sibi non esse credendas. Potest tamen latiore modo loquendi dici actus prudentie, tum quia non temere, sed ex iusta ratione, & prout prudentes decet, id elicimus: tum etiam quia saltem remotè honestam voluntatis actionem dirigit.

Secundum autem iudicium quo iudicamus rem propositam esse fide divina credendam, cum immediate dirigat voluntatē, est actus prudentie.

16 CONCLUSIO III. Illud prius iudicium est actus scientie speculativæ, licet non propriè dicta & perfectæ; quia est certa & clara cognitio veritatis speculativæ, ex evidentibus rationibus à posteriore deducta. Quia tamen, ut dixi disp. 11. dub. 3. hæc evidentia non est communiter metaphysica & omnino perfectæ, quæ intellectum planè conuincat, ideo illud iudicium à perfectæ ratione scientie deficit.

D V B I V M III.

Utrum dictum iudicium sit supernaturale?

Turrian.

Varias de hac re opiniones tacitis Auctorū nominibus recitat Turrianus 2.2. disp. 46. dub. 1. & 2.

17

Prima docet, illud iudicium esse supernaturale in substantia. Probatur, quia dirigit voluntatem in substantia supernaturali: ergo est in substantia supernaturali.

substantia supernaturale. Probatur consequentia: nam ideo fides necessario precedit actum spei & caritatis; quia cum hi actus sint supernaturales in substantia, necessario debent dirigi in intellectu in substantia supernaturali: ergo similiter cum illud iudicium dirigat actum voluntatis in substantia supernaturalem, erit etiam in substantia supernaturale. Huius autem sententiae Auctores diuersimodò eam explicant, atque ita possunt iterum in duas sententias diuidi, ut patet apud Turrian. supra. Sed eorum argumentum nihil conuincit; nulla enim est ratio cur dicamus omnem volitionem supernaturalem in substantia necessario dirigi aliqua intellectu in substantia supernaturali, quia, ut ostendi sup. disp. 5. dub. 3. quod actus voluntatis sit supernaturalis, non habet à supernaturalitate obiecti, nec quia obiectum modo supernaturali ei proponitur: sed ab auxilio supernaturali, quo potentia eleuatur ut actum producat perfectionem, quam naturæ viribus posset producere. Quare in dicto argumento nego consequentiam. Ad probationem, nego assumptum: nec enim spes & caritas ideo propriè prærequirunt fidem in substantia supernaturali, quia in substantia supernaturales sunt, quasi non possent vlla ratione elici nisi tali fide præcedente: nam si Deus vellet specialiter concurrere cum homine habente solam fidem naturalem mysteriorum fidei, hic posset elicere actus spei & caritatis supernaturales. nulla enim hic potest ostendi repugnantia.

Non omnis
volitio in
substantia
supernatura-
lis necessa-
riò dirigitur
cognitione
in substantia
supernatura-
li.

Si Deus vel-
let concurrere,
posse-
mus elicere
actus spei &
caritatis ex
cognitione
in substantia
naturali.

19
Cur alie vir-
tutes super-
naturales
præquirat
fidem super-
naturalem.

Sed et virtutes præquirunt fidem supernaturalem. Primò, quia cum homo per virtutes theologicas constituatur in statu supernaturali, omnino conuenit hunc incipere à supernaturali actu intellectus; quia hic naturaliter prior est actibus voluntatis. Secundo, quia cum spes & caritas firmissimè & constantissimè in Deum ferri debeant, naturaliter præquirunt omnino certam ac constantem cognitionem, qua dirigantur; qualis circa mysteria fidei non potest esse saltem in hominibus viatoribus, nisi actus fidei, quia illorum claram cognitionem hic habere non possumus. posito autem quod status noster in substantia supernaturalis debeat inchoari à fide, hæc etiam debet esse in substantia supernaturalis, ut conueniat statui in quo nos constituit. Tertio, ex ordinatione Dei, qui ob dictas rationes non statuit nobis dare auxilia necessaria ad dictos actus eliciendos, nisi præcesserit actus fidei supernaturalis.

Alij voluit, hoc iudicium esse merè naturale; quia cum nitatur evidentia notarum fidei, videtur habere obiectum merè naturale: ergo est etiam merè naturale. Consequentia probatur: quia actus accipit suam supernaturalitatem ab obiecto: ergo habens obiectum naturale erit omnino naturalis. Sed nec hoc argumentum quidquam probat. Quia, ut ostendi sup. disp. 5. dub. 3. actus naturalis & supernaturalis non distinguuntur necessario ex parte obiecti, sed possunt versari circa idem obiectum formale.

20

CONCLUSIO. Illud iudicium secundum suam substantiam est naturale, & supernaturale secundum modum. Prior pars probatur,

21

V

quia